


persuaderent, aquam non totam, sed aquæ superficiem esse rotundam. Quod quia plurimum virium habere est creditum, in ultimum examen, reiiciamus, et prius Astronomorum, et Geometrarum, et Geographorum rationes alias excutiam? Quas maxima constare necessitate, et ipsi sibi credunt, et aliis persuadere conantur. Quorum omnium fere, labores omnes in unum locum, vir nostra ætate celebris Christophorus Clavius adnixus est conferre, et confirmare, ut uno suo labore, studiosis harum rerum omnibus consuleret. Multa sane hoc conatu laude dignus. Sed longe dignior, pace eius id dixerim, si rem ipsam expendere, quam aut horitates illorum sequi, mallisset. Sed argumenta et authoritates illius, nos prius expendamus, et simul rem ipsam contemplemur. Is igitur vir, dum in sphæram commentaria scribit, ad guttæ, et mali duas rationes tertiam ex, Aristotele adducit. Hoc primo assumpto. “Aqua suapte natura, confluit ad loca decliviora. Declivior aut locus est, qui centro est vicinior”. Axioma sane hoc, si hæc conditio absit, ut loco alter altior sit, alter declivior, falsum est. Nam si in plano aqua sit, nusquam confluit, sed eodem loco immota manet, ut in stagnis, in lacubus, paludibus, fossis, puteis, pelvibus. Quæ omnia, æqua esse superficie, et sensus ipse docet, nullo in medio tumore, et aquarum libratores. Qui libella æquissima adhibita, experiuntur, an alicubi solum declivius inveniatur, quo vel paludem exsiccent, vel rivum, vel fluvium alio derivent. Si nullibi declivitas reperitur pro certo habent, eam aquam alio non posse duci. Itaque vel opus non incipiunt, vel a cepto desistunt, quando aqua eos non sequatur. Dicimus itaque Aristotelicum axioma in locis, quorum alter declivior sit, elatior alter, esse verum. Falsissimum vero esse in pelvibus, in puteis, in fossis, in paludibus, in stagnis, in lacubus plerisque. Et ex his verius concludetur, mare, atque Oceanum esse ut appellatione produnt, æquora, quam rotunda. Idque alio eiusdem Aristotelis axioma. Elementa in suis locis non moveri, sed natura quiescere. Quorum partes si vi e naturali loco dimoveantur; ad ipsum quam citissime possunt, redeunt, et in eo aquiescunt. Non ergo aquæ elementum, cum sit in loco sibi naturali, ab altiore in declivorem confluet locum. Si non confluet, altiorem locum in se nullum habet, nullum declivorem. At haberet, altiorem, si in medio esset rotunda. Haberet et depressiora omnia quæ medium circumdarent, itaque a medio in ea conflueret. At non confluit. De eo confluxu modo loquimur, qualem Aristoteles et Clavius proposuerunt. Nam motus alios, Maris et Oceani alius erit disquirendi locus. Quam vero ambo figuratam proponunt demonstrationem, magno æquivoco, et fallacia laborat. Ea est huiusmodi.



Inquiunt. Lineam A, D, minorem esse reliquis tribus ab eodem centro ad circumferentiam ductis. Quia D sit centro vicinior, et ideo declivior. Igitur per axioma, aqua ad declivem locum tam diu fluet, quousque ad E assurgat, ut ipsis B, C, fiat æqualis. Ut hoc alibi concedatur, in mari magno atque Oceano non concedetur. At nec concedetur alibi, nisi aqua, a superiore